

QK.292 HONORI POSTHVMO *5,128*
CAROLI, BVRGGRAVI
A' DONA, BARONIS &c.
ADOLESC.

Tam suopte ingenio & virtute;
Quām patritæ nobilitatis splendore;

QVONDAM ILLVSTRIS ET VERE GENEROSI;
ANNÆBERGÆ, HUMANIS EXEMPTI:

I N

AMORIS ET MOE RORIS;
utriusque iustissimi;
SIGNVM PERP.

à

M. IOAN. FRIDERICO VVOLFFESH.
Artis dicendi in Academia Lipsica
Professore publ.

D.

O R A T I O.

Accessere

Tumuli inscriptio; & Epicedia diuersa.

Se 25

MICHAEL LANTZENBERGER EXCVDEBAT.

Anno M. D. XCV.



1.129

(2/199 7455)



E P I G R A M M A.

Qui durām hīc galeam, subtusq; minacia; sed dehinc

Virgineā cernis cornua prensa manu:

Respice; Nobilitas sublimis, & ardua virtus

Spectanda affabré hæc per simulacra datur.

Vis animosa truci CORNV; Rationis habena

VIRGINE; Laus belli CASSIDE picta later.

Hæ multos ALÆ vexere sub astra; quid hæres?

En, notos SVPER ASTRA, aspice DONIGENAS.

Ioan. Frid. Vuolff.

ILLVSTRI GENERE NOBILISSIMIS;

A' S E

Religiosæ pietatis, scientiæ liberalis & aliarum virtutum laude ornatißimis & verè Generosis ADD.

VLADISLAO ET OTTONI FRR.

BVRG GRAVIIS A' DONA, BARONIBVS;

Dominis suis omni studio colendis;

S A L. D.

M. Johan. Friderich. V Volff.

MITTO AD VOS TANDEM; OPTIMI Domini, Barones generosi ac nobiliss. oratunculam illam meam, quā anno superiori funebria iusta fratri dilectissimo vestro Annæbergæ faciebamus. Vereor autem, ne id tardius forsitan à me fiat; quām aut vos voluistis ex eo tempore, aut etiam à me fieri; vobis maximè postulantibus; oportuit. Etenim memini ab utroq; vestrum (quæ nempe in fratrem etiam defunctum generosi amoris V. est constantia) non modò corām persape, sed etiam hactenus per literas ad me datas id actum esse; ut quamprimum istud; quicquid etiam esset; quod tum publicè dixissem in funere, descriptum typis, vobiscum communicare vellem. Nam & memoria fratri vestri, & cū aīyīis; & vita laudabiliter, etiam in istoc per quam breui & vix benè cæpto curriculo, transacte omnino id deberi existimastis; ut is defunctus saltem aliquod sui nominis, reliquum inter viuos, & quidem à literis, μνημόσυνον haberet.

A 2

Et sanè

si DD. quibus ego fratri honestam memoriam nihil prius; literarum monumentis nihil antiquius esse iam antea satis noui: Sed mores tamen hic interposita veniam vos datus esse non dubito; vel propter impedimenta perpetua illa, quibus omne penitus tempus mihi hactenus; ut ipsi scitis; praeceptum fuit. Quanquam (ut dicam quod res est) non parum etiam a proposito me abstinuerunt varia hominum iudicia, variæ sententiae, quibus huiusmodi in vulgus edita scripta obnoxia plerumque solent esse; Alijs stolidæ ambitioni & arrogantiæ, alijs commodorum spei & expectationi alicui; & si quæ præterea sunt, horum similia; id adscribentibus. Quæ sane res apud me tanti est, ut longè satius equidem esse putem, λαθόντα ήταν χάριδον, quam quoquo modo Πριπολάζοντα δάκνεσθαι. Et suppressa mihi fuissent eo consilio etiam ista; sane pauca & minus limata iudicio; quæ de fratre vestro, piè defuncto, pridem officij causâ non tam dixeram, quam subito, in tanta quidem animi perturbatione, effuderam: Nisi iudicassem hac in parte & vobis aliquid dandum esse, & in primis beatiss. fratri vestri, charissimi quondam discipuli mei, memoriae nunquam satis laudatæ. Quid enim illius causâ non facerem, post fatum; quem unice dilexi viuum? Et verò vobis quid officij non tribuerem, quibus cum Annæbergæ dulcissimo conuictu, in liberalissima studiorum palestrâ, bonam huius & superioris anni partem egi? Ide quidem haud dissimulo; vestram mihi modestiam, serio doctrinæ studio, curâ denique pietatis singulari plerasque molestias; quibus cumulatissima vita scholastica est; vehementer lenitas imminutasque esse. Neg, enim, iuvos estis, qui honestissimis literarum studijs ullo modo coacti detis operam; uti nempe vulgus solet discipulorum, eorum maximè, qui tumidi maiorum nobilitate,

varc, uincrum uocatum p[ro]p[ter]a acc[re]v[er]magis quam honor[is]
putant esse : Sed cum intelligatis iam ipsi, tantò patritæ ge-
nerositatis splendidius decus esse, quanto illud uniuscuiusq[ue]
propria virtute ornatius, & literarum scientia illustrius red-
ditur; vestrâ sponte omni studio in id estis intenti; quo & di-
uinum illud eruditæ scientiæ u[er]o vobis ipsis comparetis;
& simul peructus & vestræ stirpis nobilitatem generosam ista
virtute vestrâ, quasi nouæ cuiusdam lucis accessione illustre-
tis. Quæ quidem ego non propterea hoc loco repeto, ut for-
te gratâ vobis illa commemoratione blandiar ullâ parte;
sed potius ut honesto illo virtutis & doctrinæ testimonio au-
tor vobis sim; ne minori animorum alacritate etiam dein-
ceps virtutis illud illustre stadium decurratis; atq[ue] ita vestro
exemplo etiam alios quam plurimos ad similis studij conten-
tionem honestissimam inuitetis. Scholæ sanè Annæbergensi
ego gratulor; quæ vos, ceu lumina quedam discipulorum,
iam amplius triennium, haud sine nominis ac famæ singu-
lari incremento habuit; Exoptoq[ue] studiorum illi officinae,
propitiū Numinis & gloria felicissimæ, ut discedentibus vobis,
plures alij, ingenij, fortunâ & nobilitate florentes adole-
scuntuli ad capessendam, in eâ, liberalis doctrinæ scientiam
accedant. Ita enim vobis, & planè omnibus de me persua-
sum esse velim; Et honestissimæ illi Reipub. quæ multis me
officijs, etiam nuperrimè discedentem, humanissimè prose-
cuta est; & solertissimis scholæ præceptoribus, venerandis
amicis meis; atque adeò ipsi scholæ, nutrici ingeniorum li-
beralissimæ, omnibus à Deo votis id me precari; ut saluta-
rem illam pietatis & literarum doctrinam, cuius honestissi-
mam hactenus sunt assècuti laudem, pari successu posthac
etiam propagatam cum plurimorum emolumento & salute
retineant. Cur enim, ut istud nolim, homuncionum unius

atque alterius ventosa putidaq; leuitas efficiat? Garriant il-
li sanè (suo more) quantum volent, de me; de sarcienda di-
sciplinâ meâ. Mihi verò viles, scioli sarcatores illi, qui in hac
literatâ officinâ prorsum undiquaq; laceri, nudi, & omnium
indigentissimi ipsi; quos ego primùm ad auferendam in Mi-
neruæ ac Musarum fano stipem (nisi forsan huius suppu-
der) ablego. Deinde iubeo ut suam maximè; demum ut alio-
rum (si quæ fuerint tamen) candidè sarciant usq; pugnac. Sed
pudet harum nugarum; & nugatorum.

Vos; Generosi Barones; quæ de hoc instituto meo pau-
cis verbis commemorauit, meliorem in partem accipite; stu-
dium virtutis & doctrinæ eruditæ (ut quidem facitis) vr-
gete gnauiter; Et; si mereor; aliquam mei memoriam apud
vos reliquam esse etiam deinceps finito. Ego; ne fortè ali-
ud de me sentiatis; vota quotidie facio, ut pulcherrimi isti
laudatissimij conatus vestris sint, Deo fortunante, felices;
publicæ rei salutares; vobis autem in primis; tum etiam Pa-
renti generoso, & inclytæ stirpi vestræ vniuersæ, usui
voluptati, honori. Valete optimè; Barones no-
bilissimi; & generosæ virtutis arduum cal-
lem ne deserite. Lipsiæ, Calendis

Octobr. Anno C HRISTI

M. D. XCV.

O R A-

ORATIO FUNEBRIS

De ortu, vita ac morte Generosi ac nobiliss. Adolesc.

CAROLI BVRGCRAVLÀ DONA,
BARONIS, &c.

Annebergæ; XII. CAL. SEXT. AN. XCIV.

Amoris & mæroris testificandi causa;
pub. habl. à

M. IOH. FRIDERICO VVOLFF.
ANNÆB. SCH. ID TEMP. RECTORE.



Ix teneo lacrumas, illustris
& generose Baro, viri Reuerendi,
dignitate & doctrinâ eximij, dum
hanc conscendo cathedram; debi-
tum, idq; supremum, officium huma-
nitatis redditurus Nobilissimo &
Generoso Dn. CAROLO, Burggra-
uio à Døna, Baroni &c. adolescenti, dum in viuis esset,
ingenio felici & stirpe generosâ apprimè digno, lectif-
fimo nostræ scholæ & desideratissimo discipulo; qui
præmaturâ morte, sub ipso flore suæ ætatis, abreptus,
ex hoc ærumnoso mortalitatis orbe ad cœlitum optata
confortia; sibi quidem immortalis vitæ perpetuaq; læ-
titiæ parta possessione, nobis autem interceptæ ereptæ
que virtutis tristi reliquo desiderio, emigravit. Vix be-
ne linguam meam ad dicendum inflecto; vix alleuo ad
cernendum oculos; vbi intuendus mihi scholaisticus hic
cœtus est, adolescente nobilissimo orbatus; vbi spe-
ctandus

standus sit locus, quem pugnans hic non ita multos
ante dies, & què animo ac corpore sospes, occupauit;
& hicce paries, cui assidere hactenus, & præceptorum
doctrinam ~~augoātū~~ attentissimâ cognoscere atq; anno-
tare solitus est. Neque sanè mirum, si vel totus, casu
tam acerbo sensibus obuersante, conciderem mœrore;
suspirijs & planctu multo propè iam exhausto spiritu;
viriumque ita diminuto robore, vt vix pristinum in me
vigorem agnoscam. Et quæso quid tam augere mœro-
rem mihi possit hoc tempore, quàm quod etiam hîc co-
rām assidentem aspicio mœstissimū beatissimè defuncti
adolescentis generosi parentem, mœstissimosq; fratres;
quorum ille filium dilectissimum, hi germanum vnicè
charum, sub his tectis, fide & disciplina meâ amissum
requirunt? Attamen eam fortunam meam, & ca-
sum tristissimum dum verbis deploro dolentiùs; haud
quenquam velim ita de me sinistrè iudicare, vt præfica-
rum me existimet luctum renouare, studioq; forte com-
paratas lacrumas fundere. Non enim ita hactenus assue-
feci animum, vt sibi tristitiam inanem aliquam fingere;
non ita vultum & oculos meos, vt affectum ullum, ani-
mo non suggerente, mentiri sciant. Durus equidem ni-
mis, & inhumanus essem, nisi huius adolescentis, disci-
puli charissimi mortem grauissimè lugerem. Qui enim
heroicâ quadam ingenij vi atque indole; qui singulari
pietate, virtutis & doctrinæ studio insigni in summam
expectationem maturioris ætatis omnes adduxerat;
qui generosi parentis sui, sub hac propè acta iam ætate
decursa, vnæ deliciæ; fratrū & præceptorum amor
& voluptas; scholæ denique huius singulare decus &
ornamentum erat; Is, proh dolor, obita morte, subla-
taque

taque cum amoribus & delicijs expectatione, nihil nobis nisi ingens sui desiderium, summo cum luctu, potuit relinquere. Verum quia omnes, quotquot in hanc edimur lucem, eâ lege mortalem istam vitam accipimus, vt propter peccati labem, à primævis humani generis parentibus in omnes posteros propagataam, quo quis tempore eam repetere fata queant; Decet utique & pium est, doloris illam acerbitatem, obortumque ex hoc funere luctum, non tam æquâ & communi hac sorte mortalitatis, quam spe certâ illius societatis, quæ iterum nobis in æterna & immortali illa vita cum omnibus electis futura est; quoad quidem humanitas sinit; lenire ac minuere. Nam & vetus Poëta Ethnicus, ne Antiphon diuinæ scripturæ passim obuia testimonia attingam, ita propinquorum fata nobis lugenda esse docet, vt non tam amissos illos, aut auulsos planè à nostra societate, quam ex hac communi peregrinatione in id diuersorum præmissos esse statuamus, in quo nobis etiam, breui affuturis, sempiterna quies in perpetuâ eaq; suauissimâ coniunctione expectanda sit.

Ἐγὼ τεθρᾶσιν (ait) ἀλλὰ τῶις αὐτῶισσον,
λιῶ ταῖσιν ἐλθεῖν εἰς αὐαγκαῖος ἔχον,
πεφεληλύθασιν. εἴπε χ' οὐεῖς ὕστερον
εἰς τάντο κατέγάγειον αὐτοῖς ἥξομεν,
κοινῇ τὸν ἄλλον σωδατεῖσθαιτες γέροντος.

Id tamen interea, dum adhuc in ærumnosæ huius peregrinationis decursu sumus, nostro quidem defuncto, seu potius ad exiguum tempus à nobis auulso Baroni, Carolo demus, vt & gratam eius memoriam inter nos retineamus, & animæ beatissimæ ipsius de cœlesti vita & æterna congratulemur lætitia; Nos præterea etiam

B ipsos

iplos, quibus eadem proponta metà eit, ad beneficium
terq; decurrentum hoc caducæ vitæ curriculum, quan-
to potest fieri studio, paremus. Et quoniam hoc tem-
pore propterea conuenimus, vt more quoque scholasti-
co debita iusta huic funeri soluantur; Eas ego partes
lubens quidem, vt debeo officij causâ, suscipio. Sed
vereor tamen simul, ne in hac tanta animi perturbatio-
ne eneruatiō & horridior sit oratio mea, quām vt in ea
vel rerum vel verborum delectum ullum possitis agno-
scere. Nihilominus autem, æquanimitate fretus vestrâ,
id meum institutū prosequor; *verba facturus* (sed, quām
potero, breuissimè) *de ortu, vita ac morte huius verè no-*
bilis & generosi adolescentis, cuius defuncti exaniime cor-
pus, ad destinatum sepulturæ locum modò elatum, haud
grauatè, piæ nempe voluntatis studio, prosecuti estis;
atq; ita honestissimâ vestrâ præsentia perfecistis, vt ne
vel iustis exequijs vel vlo humanitatis officio Baronis
laudatissimi funus in hac vrbe vestrâ careret. Hoc verò
dum agimus, non ea ducamur opinione, vt defuncti be-
atissimam animulam, quæ in manu est altissimi, huius
officij nostri parte ullâ indigere existimemus; sed alias
pium & æquum esse statuamus, lectissimum & laudatissi-
mum hunc adolescentem non defraudare mundanæ
quoq; vitæ huius præmiolo; quod est laus quædam post-
huma, & nominis honorifica inter viuos memoria: quo
nullum aliud præstantius post fata munus, in hac quidem
mortali vitâ, contingere homini potest. Sed & familiæ
illustri & generosæ; in primis autem mœstissimo paren-
ti, atq; fratribus è luctu & dolore adhuc languidis, offi-
cium istud & humanitatis studium nostrum solatio non-
nihil fore haud dubitamus; Quemadmodum etiam non
ambi-

Ambigendum nobis est, ingenuam iuuentutem scholaſticam illâ commemoratione pietatis, diligentiae & aliarum virtutum, quibus ornatissima fuit defuncti vita, ad honestissimam ſimilis ſtudij æmulationem in primis excitatū iri. Vos faltem iſtud vnum mihi date; illuſtris & generofe Baro, viri Reuerendi & doctiffimi; vt ea, quæ mihi, nouo & tristi hoc caſu perturbatissimo, variaq; ſollicitudine diſtracto in mentem veneſunt; quæq; non tam oratorio q̄ ſcholaſtico more, operaq; tumultuariâ breui-ter & nude comprehenſa in medium allaturus ſum, per ſilentium æquis animis audita vobis eſſe cognoscam.

In exorsu verò narrationis huius, ſi vulgata imitan-
da conſuetudo, genusq; & familia defuncti adolescentis
ab initio, per ſingulos ætatum quaſi gradus, ad hæc vſq;
tempora deſcribenda nobis eſſet; campus ſanè orationi
latiſſimus aperiretur, & materia copioſiſſima dicendi de
illis, qui ē familia Burggrauiorum à Dona, illuſtri & per-
uetuſtā, oriundi, rebus bello & pace præclare ac strenue
geſtis, longiſſimā temporum & annorum ſerie clarue-
runt. Sed neq; temporis hæ anguſtiæ, quibus concluſa
oratio noſtra eſt, neq; huius instituti ratio ſinit, vt vel in
ſpacioſiſſima illa laudatiſſimæ antiquitatis viridaria, vel
etiam posteriorum illius familiæ propagatorum ampli-
fiſimas laudes ſermo latius euagetur. Faciendum itaq; hīc
nobis eſt, quod puidi aliquando peregrinatores folent;
qui dum maximè ad locum itineri præfinitum con-
dunt, interea tamen neq; vrbium, neq; rerum aliarum eā-
dem viā occurrentium plane ignari eſſe volunt; ſed non
raro ſubſiſtunt; nonnunq; etiam à recta via deflectunt, &
cupide, ſi non omnia & ſingula, præcipua tamen, & me-
moratu maximè digna perquirunt & cognofcunt. Ut

princip

B 2

igitur

igitur hoc modo nos etiam , accuratiore prætermisſâ
ſcriptâ, ſaltem obiter in ortum & familiam nobilissimâ
defuncti nostri Baronis intueamur ; Id ſciendum ante o-
mnia eſt, propter vetuſtatem quidem, & annalium genti-
litiorum monumenta negligētiuſ aſſeruata, obscurio-
rem illius, ſed antiquiſſimam tamen eſſe originem. Con-
ſtat enim ē vetuſtissimis diplomatis, iam ante quadrin-
gentos annos, in hoc Hermundurorum ſuperiori tra-
etu ad Albim, & illuſtri nobilitate Burggrauios à Donin,
& opibus atq; potentiā eminuiſſe. Neq; dubium eſt, no-
bilissimæ gentis proſapiam, & initia stirpis Donaicæ et-
iam retrò longius ad ea ferè tempora referri poſſe, quæ
Imperatoris Henrici II. Aucupis dicti, aetatem attige-
runt, aut certè pōſt, nō ita longè, ſubſecuta ſunt. Eā enim
tempeſtate, felicis & magnanimi Imperatoris virtute de-
uiſtis & eleſtis ex hiſ oris Germaniæ Henetiſ ſeu Sclau-
uiſ, priuūm eminere in hiſ & viciniſ regionib⁹ illuſtri-
orum familiarum cœpit nobilitas ; cum animoſam &
ſtrenuam in domandis hostibus fortitudinem, honorifi-
ciſ dignitatū tituliſ & officijs paſſim diſtributiſ, ceu præ-
mijs quibusdam, ſapientiſſimus Imperator remuneraret.
Nam præter Miſniæ Marchiones (hodie Principes no-
ſtros, heroas omni laude maiores) qui ſub id tempus,
nempe ante annos ſeptingētos, paulo minus, ius & uſum
laudatiſſimi nominis illius, virtute & meritiſ ſui acce-
perunt; plures alij diuerſis lociſ, temporum tamen non-
nullis interuallis, coſtituti ſunt caſtorum & arcium im-
perialium præfecti ; Caſtellani Comites vulgo appellati;
quibus id muneris & negotij datum eſt, ut vel Episcopo-
rum vicinas ſedes ab ingruente vndeſcunque iniuria de-
fenderent, ijsq; in locis ciuilia iudicia; à quibus anti-
quitus

quitus sacro ordini abstinentum esse putabatur; Imperatoris nomine exercebant; vel ipsos imperij fines aduersus hostiles exterarū gentium incursiones tutarentur. In illorum autem numero huius quoq; familiæ stirpisq; nobilissimæ primos auctores fuisse, fidem nonnullam, præter alia, ratio cognomenti facit. Id enim à castro & arce quondam in aditus Bohemiæ & finibus Misniæ sita, desumptum non obscure indicat, fuisse in illis & quibusdam alijs necessarium finibus imperij præsidium contra perpetuas, in primis vicinæ gentis Bohemicæ impressiones, quibus initio (quod admodum infesta imperio Bohemia esset) grauiter illam Misniæ oram diuexatam esse constat. Et dubium non est, ex eo tempore adhuc superesse gentilitia illius familiæ insignia, ceu præmia quædā priscæ virtutis, & probatæ imperio fortitudinis indicia non ambigua. *Cornua quippe illa gemina ceruina* (quibus peculiariter stirps ista nobilitata est) quid aliud; præsertim appositis spectatissimæ virtutis insignibus illis, *aureo cum reserata galea diademate*; quid, inquam, indicant, quam fortitudinem nobili profapia dignam, & ad vim iniustum propulsandam, apertam animositatem? quæ tamen, ne temere quid agat, freno rationis, indiget; quam ipsam parte superiore pudibunda virginis, *utring summa cornuum manu prehendentis imago aptissime representat.*

Obscurum est tamen; ut fere in priscis familiarum originibus; atque adeo incertum, à quibus orta initio stirps illa, & deinde virtute atq; hæreditate ad posteros propagata sit. Antiquissimi enim, quorum indagare nomina nos quidem potuimus, demum **L V D O V I C O B A V A R O** imperante claruerunt; opulentia sanè ma-

gnificâ & operâ potissimum Bohemiæ regno præclare
nauatâ nobiles : quemadmodum id aperte codicilli te-
stantur, qui sublatis annalibus, ferè soli ex peruetusto ta-
bulario reliqui asseruantur. Inest ijs codicillis clientelæ
sacramentum ; iuramentum fidelitatis & homagium vul-
gò dictum ; quo Burggrauij gentilitij nominis duo FRI-
DERICVS & OTTO Bohemiæ Regi IOANNI LVCEL-
BVRGENSI COMITI se committunt & obligant.
Ab eo namq; antiquitus ita recepto more ; dominium
& iura acceperant, prædicti castri sui gentilitij ; vnde
tum modò cognomentum , exuti possessione , retinue-
rant. Quanquam in ijsdem literis etiam id disertè dici-
tur ; vsum eos & fructum habuisse castri & vniuersæ illi-
us ditionis, pro argenti summâ certâ Regi commodatâ.
E qua re vel solâ intelligitur, & opibus satis iam tum
munitam fuisse hanc familiam , quæ potentissimo Regi,
tali officio, non defuerit, & extitisse quoque ab hac alia
nonnulla in Bohemiæ regnum præclara merita. Mento
enim fit inter alia fidelis seruitij regio culmini ; vt ex-
pressè codicilli habent ; exhibiti : Ob idque potissimum
nominati castri ius vniuersum Burggrauijs à Rege tradi-
tum esse dicitur. Familiae vtiq; generosæ sub id tempus
eminentiam & celsitatem, præter indicia alia, vel istud
vnum demonstrat ; quod familiariter illi, quos nominini-
bus suis antè appellaui, cum vicinis principibus egerunt;
RVDOLPHO SAXONIA Duce, post Electore, & BOLESLAO
Duce Silesia; qui testes sacramenti , de quo loquor, fu-
re ; fidemq; codicillis , suo vterq; appresso sigillo , more,
ab antiquo, solenni fecerunt. Est autem ab illis duo-
bus, antè nominatis Burggrauijs, non tantum gentiliti-
um nomen, atque etiam ipsa stirps generosa felici incre-
mento

mento ad poteris propagata, ita exalata quæq; non
gâ annorum serie ad virtutis & nominis generosi hære-
des satis ampla ditio ; plurium arcum munitione, serui-
tio subditorum, agrorum syluarumq; fertilitate & copia
inter alias haud postrema. Cætera, quæ ad ciuilis & pub-
licæ rei statum pertinent, fere sunt ignota ; Nisi quod in
iure dicendo (quod ingens humanæ societatis ~~uolumen~~
est) ea facultas atq; autoritas Donensiū dicasterio quon-
dam fuisse dicitur, vt eò multi, etiam externi ambiguas
& diuturnas lites detulisse, atq; inde iustitiæ responsa, ~~as~~
~~en reiprodō~~, expectâsse perhibeantur. Et fuerunt illius
iuris, quod Donense vulgò est appellatum, etiam annis
paullò superioribus aliquæ reliquiæ ; q; tamen ipsæ quo-
que; vt nihil in hac temporum & hominum vicissitudine
est perpetuum ; obliterato nomine iam penitus exole-
uere. Floruit verò maximè dignitate atque opibus hæc
generosa familia, vsq; ad Imperatoris SIGISMUNDI
tempora; quibus (vt hoc obiter intexam) laudatissimus
heros, FRIDERICVS I. Misniæ Marchio, generosissime il-
lius familie Primus Elector & Dux SAXONIAE factus, Lipsen- 1409
sem Academiam, matrem liberalium studiorum beni- Prid.Id.
gnissimam, è dissipatâ Pragensi felicissimis auspicijs ja- uemb.
peruit. Estque scriptum eo tempore regium diploma
quoddam, adhuc cum paucis alijs reliquum è vetustate ;
quo iterum singularia duorum Burggrauiorum Donen-
sium, NICOLAI & IAROSLAI, in Bohemiæ regnum
merita commendantur. Ac refert diploma, ambobus
illis simul tum in clientelam acceptis hæreditariæ ditio-
nis (vt à maioribus erat relicta) possessionem & ius inte-
grum à Rege Sigismundo datum fuisse.

Quemadmodum autem res omnes in hoc mundo,
atque

atq; in ijs iūimā etiā imperia fatali quadam necessitate mutantur; Ita hæc quoq; stirps, opibus quondam & fortunâ inter alias illustres familias eminens, haud multò pòst inexpectatas quasdam vices subiit ac perpetua est; cum bello propè domestico & interno, fato quodam implicata, satis quidem animosè, sed exitu nimis calamitoso rem gessit. Quæ sanè fortuna, & incerti Martis alea, ut tum opes ac potentiam gentis nobilissimæ non parum comminuerit; stirpem tamen ipsam; Deo sic volente; non penitus attriuit. Remanserunt enim ex veteri illa prosapia, atq; etiam nostra ætate reliquæ sunt in diuersis Germaniæ locis, quasi diuisæ nobilissimi generis, propagines. In primis autem nobiles patria laude, & virtute quoq; suapte generosi hoc seculo inuenti sunt stirpis istius propagatores per vicinam Bohemiam; quæ ad hunc usque diem è peruetustâ ac nobili familia reliquos habet plures, splendore aucto & propria virtute claros atq; præminentibus; præcipue illustrem & generosum Dominum, VV E N C E S L A V M, Burggrauium à Dønæ, Baronem; qui ipse vicissim sub hac ætate ingrauescente maximum solatum in spe generosæ posteritatis habet. Sobilem quippe, corporis atq; animi donis cum mulatam, magna ex parte masculam, ex nobilissima uxore, Elyška Bezdruziczka, è familia illustri Baronum de Kolobrat oriundâ, iam octennium à morte beatam cum cœlitibus vitam agente; suscepit; Eamq; ipse superstes & præsens hoc tempore in decus præclaræ virtutis crescentem, & maiorum vestigijs laudatissimo conatu insistentem, magnâ cum voluptate videt. Erat ex illa prole laudatissimus adolescentulus C A R O L V S, generoso patre dignus filius; quem ad summa quæq; omnium experientio-

Etatione natum, & iam bellè feliciterq; crescentem, summa dies, proh dolor, nihil tale sperantibus nobis eripuit. De cuius vita & obitu cum deinceps; vt initio recepimus; agendum nobis sit; æquissimos auditores paucis ijs, quæ in hac angustia temporis de nobilissima defuncti adolescentis familia, velut in transcursu, dicta sunt, pro sua humanitate, contentos fore; ac pari benevolentia studioq; illi etiam orationis parti, quæ reliqua nobis est, aures daturos esse, planè confidimus.

Verum est autem, quod radix & fundamentum generosæ nobilitatis sola virtus censenda fit, animique ad res magnas gerendas excitata quedam alacritas; nequam verò hæreditaria generis illa eminentia, quæ absque studio propriæ virtutis à maioribus tantum obortitur. Multi enim à natalibus ignoti, summam sibi & immortalē gloriam, qui veræ nobilitatis quidam quasi fructus est, virtute suapte pepererunt; contrà plurimi acceptum à maioribus hæreditaria possessione generis splendorē non obscurârunt tantum ignauiam, sed etiam turpiter actâ vitâ penitus amiserunt. Quod cum perspectum etiam olim esset poëtis; sapienter sanè & verè in hanc sententiam multa prodiderunt; in quibus vulgatissima illa:

*At genus & proauos; & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.*

Et:

Tota licet veteres exornent undig ceræ

Atria; Nobilitas sola est atq; unica virtus. &c.

At enim quia naturæ quodam impulsu ferè omnes antiquitatem veneramur & suspicimus; indubitatum est vicissim apud cunctos sanæ mentis homines; veterem nobilitatem, si quasi reiuuenescat in posteris, tanto nouâ venerabiliorem splendidioremq; esse, quanto plus illam

C ætate

ætate atq; annis antecedit. Atq; inde fit, vt sit ferè spretior nouorum hominum virtus noua, in oculis autem omnium versetur ea, quæ à multis retrò annis in illustrium familiarum prosapia velut hæreditaria à Maioribus innepotes deriuata est. Taceo, quod longâ iam experientiâ notum; à maioribus laude virtutum ac veræ nobilitatis eminentibus similes nasci posteros; vi nempe generosæ mentis in patribus occulto traiectu in sobolem permanante; qua de re elegantissimi Poëtæ versiculi:

*Fortes creantur fortibus; Et bonis
Est in iuuencis; est in equis patrum
Virtus; Nec imbellem feroceſ
Progenerant aquilæ columbam.*

De Carolo igitur nostro, laudatissimi ingenij adolescentulo, è nobilissimæ ac peruetustæ gentis prosapiæ nato, dubium nullum est; semina veræ virtutis ipsum nō aliundè primùm, quām ex hæreditaria suæ gentis nobilitate, & ex sanguine quasi generosissimorum parentum accepisse: Quæ tamen ipse vel puer adhuc cùm imperfeta animaduerteret, studio & diligentia exuscitanda, & quoad fieri posset, in vsum producenda esse censuit. Autorem autem illius studij & curæ adolescentे nobilidignissimæ, generosum habuit parentem suum; qui cùm non satis esse putaret, præclarâ ingenij indole à natura donatum esse filium Carolum, educationis curâ sedula à teneris eam perficiendam esse existimauit. Annos igitur ipsius primos accuratâ disciplinâ domi excolendos, & ingenium puerili institutione doctrinę, pietatis & moralum probè informandum Inspectori seu paedotribæ domestico tradidit. Postea verò cum idoneum videret, qui ad capiendam vberiorem doctrinam, & cognoscendos alio-

aliorum hominum mores, peregrè posset agere; Eum
cum fratribus duobus, DDn. VLADISLAO & OTTONI
Goltbergam primùm misit, annum ætatis agentem duo-
decimum. In illa schola, primùm opera Trocedorffij, de-
inde Taburni, expertissimorum quondam erudiendæ iu-
uentutis artificum præclare constitutâ, tantùm assecutus
est vnà cum fratribus generosis natu minimus Carolus,
vt & indolem ipsius & mores prædicarent Ludi illius
præceptores & collegæ, atq; spem planè singularem de
reliqua vita conciperent. Sed factum est anno insequen-
ti; cùm fama nostræ huius scholæ, Moderatorum indu-
stria, per Bohemiam passim magis ac magis increbresce-
ret; vt ipse quoq; Dn. parens, vir nobilissimus & gene-
rosus, de filiorum educatione recta paternè solicitus, su-
os huc liberos, præclara operarum scholasticarum expe-
ctatione, mitteret. In hac vrbe igitur iam amplius bien-
nio cum fratribus commoratus Carolus non modò mul-
tos suorum condiscipulorum ingenio & indole vicit, stu-
dioq; & diligentia superauit; fere ab infimo discipulorū
ordine ad supremam scholæ classem exiguo tempore
progressus: sed ita quoq; suam probauit præceptoribus
obseruantiam, legibus scholæ obedientiam, & vniuersim
omnibus humanitatem & modestiam, vt sæpe mirer im-
pudentiam & indignabundus detester cōtumaciam atq;
petulantiam illorum, qui ipsi neque genere ac natalium
splendore similes, neq; ingenio & doctrinâ pares esse ullo
modo possunt. Sentit quotidiè nescio quos stimulos a-
nimis, cum oculos ad locum istum conuerto, in quo ha-
ctenus sedentem charissimum illum discipulum nostrum,
& lectiunculas audiissimè excipientem vidi: Sentit do-
lores in me pectus intimum; quoties istud aspicio vel in-

gredior conclaue, in quo studij priuati exercitia assidua cum fratribus habuit. Tantum sane ista studij assiduitate erat consecutus, ut aetate ferè adhuc puer non tantum satis latine loqueretur & scriberet, versus etiam faciliter Mineruā fingeret; sed artium etiam dicendi, Dialecticæ & Rheticæ rudimenta mediocriter calleret. Græcæ quoq; linguae eam sibi iam pararat notitiam, ut propositionæ cuiusq; sententiæ non nimis obscuræ vim & intelligeret, & absq; difficultate explicare posset. De pietatis studio in hoc adolescenti nihil dicam; quia cunctis manifestum esse credo, quantâ attentione conciones ecclesiasticas in templo; quantâ curâ sacras in schola lectiunculas audierit, quam piam deniq; vitam toto eo, quo hic fuit, tempore, præ adolescentulis æqualibus, egerit. Attestabitur id, quod dico, pium imprimis symbolū, quod Baro noster; qui iam ἐν ἀγίοις; non tantum in animo atq; ore habuit creberrimè; sed in omnibus etiam libellis suis inscriptum extare voluit. Suggesterat illud ipsi non alii cuius profanæ rei studium; vnde ferè desumpta solent esse ἀπόρθεγματα, & familiares sententiæ illorum, qui ciuillem hodie vitam sequuntur; vt etiam veterum illa: μηδὲν αὐτοῖς λόγοι εἰσὶν. Magni illius Alexandri: Ciceronis ad eum de his quib; iurisprudētis ἐπιμεναι ἄλλων; Aliaque huius generis sexcenta; suo sane loco ἀξιομενην πολλα, & neutiquam vituperanda: Sed animo sanctiore laudatissimo Baronī delectum id symbolum erat: quippe quo Christi, unici Mediatoris nostri, meritum, facerrimæq; regenerationis fœdus in mentem sibi assidue reuocabat. Et habebat quidem illud comprehensum binis rythmis germanicis, nescio an ipso Barone, an alio quopiam autore factis; E quib. hoc latinū tetraastichon eodem plane sensu à fratre germano, Vladisl. Bar. expressum:

Sum

Sum KAROLVS; stirpe ab Donaide; Notus in orbe

Terrigenis; superā notus in arce D E O.

Ist tenerum sacris sibi me signauit in vndis,

Et vitæ hæredem perpetis esse dedit.

Præter istam autem generosæ mentis pietatem, studijq; liberalis contentionem laudatissimam; quædam etiam in ipso erat excitati animi, nobili adolescentे digna, alacritas, quæ tum alias ex incessu, vultu, atque adeo totius corporis habitu satis apparebat; tum facile quoq; in eo deprehendi poterat illo tempore, quo nuper; vti scitis; indicto, pro more (vt sic appellem) Mineruæ seu Palladis festo, puerilis & scholasticę pompa Rex designatus, equo masculâ quadam grauitate inuehens, per urbem cū multa spectantiū gratulatione & applausu incederet. Sed inuidit nobis fortuna posteros huius adolescentis annos, & ingenij sensum maturioris: quâ nempe re fieri solet, vt pauci, qui p̄cōcem illam ingeniōrū vim ante temp⁹ ostendunt, ad iustæ maturitatis ætatem perueniant. Carolum sanè nostrum bis aduersa valetudo; q̄ sciam; hoc anno grauiter affixit; semel paucos ante menses, cū toto corpore erumpentib; maculis (quibus infestari pueritia maxime solet) aliquot dierum spacio domi retentus decumberet. Ac putabam ego tum omnem morbi grauioris materiam istâ quasi ἐναθάροις è corpore ægrotantis esse eiecitam; nec facile quidquam fore, quod deinceps ipsum vitam dirâ ac violentâ inuaderet aut cōsumeret. Apparebat n. in ipso, vt sanè alias semp̄, tūm maxime tamen, nescio qui decor oris, magna venustate gratis; hilariuscule ridebant oculi; roseæ vtrinq; nitebant genæ: Et erat is vniuersi corporis habitus, quem non nisi bellè ac p̄bē valentis naturæ dixerim esse. Ac quanq; paulò antè signa

quædam satis ominosa mihi terrorem (vt eam rem inge-
nue fatear) non omnino nullum iniijcerent; cum & no-
cturnos fragores horrendos quasi collabentium ædifici-
orum, semel atq; iterum, hac domo exaudiremus; & si-
mul etiam alia nonnulla horum similia animaduertere-
mus; quibus, amotâ superstitione, non raro luctum &
funera portendi experientiâ didicimus: Attamen, quia
tum pulchrè adhuc valentem illum nostrum Baronem
videbam; nihil minus ego quidem poteram, quam hunc
casum tam tristem, tam inopinatum expectare. Sed fa-
ctum est paulò post, vt quod oculis & animo tum non
præuidebam, postea coram magno cum dolore intuerer.

Est hic dies; si rectè recordor; decimus & nonus ab
eo, quo primùm nescio quod lethale virus in ipso ebulli-
lire, morbiq; initium facere cœpit. Et erat tamen in ipso
is scholæ amor, discendiq; multâ laude commendandus
ardor, vt etiam neglecto primùm & dissimulato languore
matutinis horis operis nostris interesset, atq; ita nullum;
quod ego coniçere possem; tam periculosæ & tam in-
speratæ infirmitatis signum daret. Sed postea violentius
aduersus naturam insurgente morbo, superatus tandem
& vietus in lectulum sese abdidit; ac statim ingenti æstu
correptus insolitū ruborem facie totâ ostendit. Percel-
lebar ego tum morbi vi repentinâ & extremè angebar;
cum & fratres generosos ambos de initijs nescio quorū
dolorum querentes audirem. Dubius tamen animi se-
quentem expectauit diem; sed quo mihi non tantum spei
nihil ostensum, sed iniecta insuper, vt fieri solet, pessimi
euentus suspicio. Iam enim lectulis suis affixi hærebant
singuli, & pari ardore interius succensi, irrestincta siti ac
dolore capitum magno cruciabantur. Illum æstum cum
aliquot

aliquot dies labore continuo pertulissent; visus est de-
niq; morbus se prodere. Nam in illo , de quo loquimur,
Carolo pustulæ quædam (variolos appellare vulgus so-
let) exoriri visæ bonam spem recuperandæ valetudinis
faciebant. Sed quod, proh dolor, ipsi saluti, plurimo-
rum exemplo, arbitrabamur fore; id deinde inopinatam
attulit necem. Conualescentibus enim, per Dei grati-
am, ex pari morbo fratribus ; solum Carolum dira & in-
gens pustularū multitudo , indies miris modis incremen-
ta sumens, non tantum decubentem detinet, sed etiam
grauiter excruciatum & deniq; cunctis exhaustum viri-
bus plane perimit. Mirum tamen in adolescentulo stu-
dij literarum amantissimo ; quod persæpe etiam inter
medios cruciatus ad me de lectiunculis scholasticis con-
quereretur ; quas præter voluntatem, morbi vehemen-
tia retentus, negligeret. Sanè istud non obscurè ex ipso
potui intelligere ; non tam incommoda suæ valetudinis
se ægrè ferre, quam suam à scholasticis operis absenti-
am. O rarum in hac seculi desidia discendi ardorem ; &
dignum animum, qui fospite & incolumi corpore plures
ætates supererisset ! At solet D E V S ferè optimos quoque
sibi diligere, & per mortem, quæ ianua veræ vitæ est, ad
se conuocare: cæteros nauci & improbos plerunq; sinit,
atque ut in viam redeant, spacij & temporis aliquid am-
plius concedit : sæpe etiam, vbi corrigi nolunt, ad graues
& horrendas poenas eos reseruat. De calamitatibus ni-
hil dicam, præfertim hoc tempore penè vniuersum or-
bem peruidentibus ; quibus ferè per fata eripiuntur ij,
qui charissimi D E O sunt. Et sanè , si in hanc mundi pra-
uitatem inspicias, haud male sensisse videbitur poëta ve-
tus ille, qui dixit : ὁν οἱ Θεοὶ φιλάσσου, δόποθηταν νέος.

Menand.

De Ca-

De Carolo nostro dubitandum vtiq; non est, Deo plau-
cuisse animulam ipsius beatissimam, ideoq; ex hoc squa-
lido humanæ fragilitatis carcere ad aulam æternæ læti-
tiæ fuisse euectam. Evidem is, quanquam initio non
nullum adhuc vitæ mortalis desiderium verbis significa-
re videretur; paulò tamen post ingrauescente morbo,
creberrimis votis, ijsq; ardentissimis expetiuit, τὸ αἰα-
λῦον; ut cum Domino suo, Christo, in immortalis
vitæ gaudio esse posset: quemadmodum ab ipso non se-
mel atq; iterum, sed persæpe, præcipue sub extremum
vitæ, iteratam audiuimus inter alia piam hanc vocem,
Miserere Christe Iesu; miserere, & me tandem libera.
Ac dici satis nequit, quām se pius adolescentulus conso-
latus sit facerrimi corporis & sanguinis Christi noua-
vix, & quantā sibi postea fiducia æternæ vitæ beatitudi-
nē sit pollicitus. Memini cum à verbi ministro iam in
summis angustijs hæc verba audiret: *Non moriar, Ca-
role, sed viuam, & opera Domini enarrabo;* Ipsum ex-
templò voce clara & alta respondere: *Et quanquam mo-
riar, tamen viuam.* Neq; dubito, suauissimos illos versi-
culos, quos alterum quasi symbolum in vita habuit, tum
simul in animo ipsi fuisse:

Viuo tibi, moriorq; tibi, dulcissime Iesu;

Mortuus & viuus sum maneoq; tuus.

Non succurrunt alia quām plurima, quæ neutiquam si-
ne singulari Spiritus sancti operatione in talem adole-
scentulum cadere posse dixerim. Istud vnum sanè etiam
non reticendum. Cum in agone morti proximus esset,
neq; lingua iam titubante quidquam aliud rectè efferre
posset; deficiente quoq; iam auditus sensu; subitò domi-
nicam orationem latinis verbis (quibus ferè vtebatur)
exorsus,

potuit. Estq; ita non multò pōst , dum proximē adstan-
tes tale quid nondum expectamus , subitō intercidente
spiritu , placidissimē sopitus.

H A E C vita est & mors C A R O L I nostri , adolescentis
laudatissimi , qui ita , vt diximus , mortalis vitæ stadio de-
curso , nunc in æternæ beatitatis consoitio ἀφθαρτοῦ istud
ἀθλοῦ , quod est æterna salus , cum seruatore suo C H R I-
s t o & omnibus electis habet . Quam ipsi felicitatem &
nunquam desituram cœlestis æui lætitiam ne videamur
inuidere ; luctus consilio paulum moderandus , & lacru-
mæ ; quoad pietas finet ; comprimendæ nobis erunt ; Et
tua quidem Generositas ; nobilissime ac generose domi-
ne ; hanc filij charissimi mortem , vt decet hominē Chri-
stianum , animo magno feret ; neq; tam eius demigratio-
nem ex hac ærumnosa vitâ multo luctu prosequetur , q
ipsi de immigratione & ingressu in æternæ vitæ gaudia
paternè gratulabitur ; certò sibi persuasum habens ; iam
beatissimum æuum , cum sanctis angelis & reliquo cœli-
tum choro ipsum agere : Ad quam beatitudinem assidu-
is gemitibus aspirare nos quoq; decet , qui infinitis æru-
mnis & calamitatibus hic obiecti , ανάπτων aliam nullā ,
quām quæ in cœlis est , expectamus . Vos autem fratres
defuncti , adolescentes generosi & nobiles , operam da-
bitis deinceps enixe , vt iacturam hanc , quam per obitum
dilectissimi fratris vestri modo fecit familia vestra no-
bilissima , studio & virtute gnauiter farciatis ; moestissi-
moq; Dn. parenti vestro vulnus casu tristissimo inflatū ,
obsequio & aliarum virtutum studio sanetis ; id quod
res est , existimantes : Molem omnem expectationis præ-
D claræ ,

ram insuperantes vos totos sine reverentiā. Iu quoque
scholaſtīca iuuentus, id ſedulō deinceps age, vt vitam &
mores laudatissimos defuncti adolescentis nobilissimi,
tibi ob oculos studioſē positos contemplēre. Speciem e-
nim, quantam humanitus adolescentia capit, religiosæ
pietatis, virtutis & omnis studij liberalis in hoc condi-
ſcipulo veftro, Barone generoſo, expressam habuifit;
qui quò longius natalium ſplendore vos reliquos ante-
ceſſit, cò magis ingenio, virtute & studio pietatis ante-
cellere voluit. Atq; utinam vel ipſe ſuperſtes ad ingre-
diendam ſeduloq; decurrentam virtutis viam, ſuo vobis
exemplo etiam deinceps autor eſſe potuiffet; vel ipſo
iam defuncto, faltem aliquid ſimilis animi & ingenij in
vobis relictum eſſet. Illud ſanè nobis morte videmus eſſe
præreptum, ſed ne hoc etiam planè desperemus; vōs
studio & labore, optimi diſcipuli, quantum in vobis eſt,
perficere ſtudebitis. Ego, quod in hoc funere mearum
partium eſſe duxi, hactenus, quantum per meam tenui-
tatem & temporis anguſtiā licuit oratione breui ſum
perſecutus. Supereft, vt vobis, Reuerendi & ampliſſimi,
doctrina & virtute conſpicui viri; maximas grati-
as pro opera dicenti mihi haud grauatē datā agam: &
ſimul pro humanitatis officio ſingulari, generoſae & illu-
ſtri proſapiæ in hoc funere declarato, vicifſim omne stu-
dium à stirpis huiusce Baronibus generoſis, in primis de-
functi parente & fratribus nobilissimis ſignificem. Et
quoniam in hoc mortalitatis orbe nullum aduersus vim
& impetum mortis præſidium vſpiam nobis eſt; *χάρις*
Metrodori. Ταῦτα γὰρ ποιεῖ τὸν ἀτέκτητον οἰκτήμενον, vt è ve-
ribus

audatores, id quoque noitri omnijs, ut quotidianis morientium exemplis commoniti non modo vitæ humanæ fragilitatem & incertitudinem assidue cogitemus; sed ad istud iter, quod ingratiendum omnibus est, nos etiam perpetuò accinctos esse debere statuamus. Quam enim inexpectatum & improuisum, tam graue ac triste migrationis illud tempus imparfatis accidere solet: quemadmodum è contrario iucundissimum & maximè exoptatum ijs, qui iam in hac ærumnosâ vitâ, pietate verâ & futuræ beatitatis spe firmâ præmuniti hanc viam ingrediuntur. Sobrij simus igitur vniuersi, & ex hac animorum somnolentiâ ad verae pietatis studium excitati serio vigilemus. Aduentura quippe est illa dies propediem, qua securi quidem & impij, euanescentibus huius seculi blandimentis, perpetui doloris & tristitia; pij vero, post exantlatos huius calamitosæ vitæ labores, sempernæ lætitiae initium sunt habituri. Ad quem felicitatis portum exoptatissimum, vt tandem ex hoc turbulento miseriarum pelago eluctati nos etiam appellamus, & cum defuncto nostro Barone, beatissimam iam in cœlis vitam agente, cæterisque cum electis æternæ salutis, superatâ morte, participes reddamur; Tunc
effice, tuoq; nos auxilio iuua, CHRISTE IESU,
qui vnicus es salutis nostræ portus; qui
mediator & redemptor in secula laudandus.

A D T U M V L V M

Q V O

B E A T I S S . A N I M V L A E M O R T A L E S

E X V V I A E D E P O S . Q V I E S C V N T ;

Ἐ Π Ú Μ Λ Ι Ο Υ .

Salve dulcis humus; quâ STIRPE recisus ab ALTA

FLOs tener aridulas occulit exuuias.

Sæua illum necuit vis Sideris; impulit aura;

Deiecere Noti; sole sub occidvo.

At tu depositum tege molliter; ignea ut astas,

Cumq; graui servs turbine VESPEReat:

Sole sub exoriente NOVO, nouus ibit in auræ;

Bellus; odore ROSIS AEMVLVS ELYSIIS.

I. Friderich. Vu.


MEMORIÆ SEMPIERNÆ
CAROLI BVRGGRAVIA DONA, VVENCESL. F.
DOMINI IN VVEISSEN AVGEZDECZ, BARONIS, ETC.
ADOLESC. GENEROSI, ET TAM SVAPTE,
QYAM PATRITA VIRTUTE NOBILISS.

Q V I

PIETATIS ET DOCTRINÆ, DVM VIXIT, STVDIOSISS.⁹
IN IPSO ÆTATIS FLORE, AN. XV. NONDVM EGRESSVS,
XVI. CAL. SEXT. PRISCO MENSE; AN. VIC. SVPRA M. D.
IN HAC VRBE METALLICA,
VARIOLORVM EPIDEMIA CONTAGE CORREPTVS ET EXTINCTVS;
MAGNVM SVI DESIDERIVM PARENTI, FRATRIB.
PRÆCEPT. ATQVE ADEO NOTIS OMNIBVS,
MVLTIS CVM LACRVMIS, RELIQVIT.

VIXIT ANNÆBERGÆ STVDIOR. GRA, AN. II.
MENSES III. LAVDE SVMMA:

PRÆCEPTORVM AMANS, LEGVM OBSERVANS:
ÆTATEM VIRTUTE ET INGENIO ANTEVERTENS:
NVNC TERRA CONDIT⁹, LÆTISS. SVÆ CARNIS
RESVRRECTIONEM CVM ELECTIS OMNIBVS
OPTAT. EXPECTAT. DESIDERAT.



QVI FVERIM, LECTOR, NOSTI; SAXO INDICE: QVI SIM,
ACCIBE; SAT VERBIS TE MONVISSE TRIBVS.
HOC TVMVLO SOPOR OSSA TENET: VIGIL ÆTHERE MENS
SIC VIGIL IN SOMNIS: IN NECE VIVVS AGO. (EST:
I. Fr. Vu. F.

PEL-OREA DVM

sive

MVS ARVM ANN AE MON TANARVM;


In funere Generosi ac nobiliss. Adolesc.

CAROLI BVRGGR. A DONA. I B.

Alumni desideratissimi;

LVCTVS:

Suos per Hieroph.



IN SYMBOLVM DEFVNCTI:

Karol von Shon bin ich genandt/
Dem HERREN Christo wol bekande:
Der hat mich in der Tauff bezeichnet/
Und mir verschrieben sein Himmelreich.

VLADISLAI BVRGGR AVI

A DONA, BARONIS, FR. MOESTISS.

Elegia.

 Errigenas, eheu, miseros fors dira lacepsit,
Nec rota tam celeri motu agitata ruit:
Quam nihil in terris certum; fallacia cuncta;
Pendula cuncta; licet, magna, caduca tamen.

Nunc

Parte alia Mundus retia cœca struit.
Quis iactate diu, tandem eluctatus es; orbem
Dum modò victor habes, CAROLE, stelliferum:
Factus es Elysijs dum voti compos in hortis,
Quod crebrum in terris hac tibi voce fuit:
Sum CAROLVS; stirpe ab Donaide: notus in orbe
Terrigenis: superâ notus in arce DEO.
Is tenerum sacris sibi me signauit in vndis,
Et vitæ hæredem perpetis esse dedit.
En tandem orantem respexit ab æthere IOVA,
Qui iubet humanas pondus habere preces.
Nam placidâ, mentis pro voto, morte solutus
Iam procul ætherio culmine latus agis:
Dulcibus acciperis superûm concentibus, ing^z
Amplexu recubas suauiter usq^z DEI.
Mortuus es? Mundo. At IOVÆ super æthera viuis:
Viuere, MORS, mundo: viuere, VITA, Deo.
Ast tener; Est cælum promissum quippe tenellis;
Quiq^z Deo cordi est, is petit astra tener.
Illa puellarum pietas; & sanguine Christi
Tincta sacro summè pectora Chara Deo.
Ergo pij cineres paullum requiescite; Tuto
Ossa cubent, busti que monumenta tenent.
Nil fera mors præter curas & crima tollit:
Fama homines inter, mens agit ante Deum.

Scr. Annæbergæ parûm præsentib.
Hygiéa & Musis.

C A R O-

C A R O L O S.

F R A T R I S V A V I S S I M O;

Qui post exantlata vitæ mortalis incommoda,
cum cœlitibus agit,

M A K A P - Ο Λ Ο Σ.

P rincipium deerat vitæ tibi nempe beate,
Atque fores aui ad prosperioris iter.
Mortales inter nos dum mortalis agebas,
Fortuna dubijs lusibus expositus.
Nunc tibi morte fores patuerunt perpetis aui,
Ianuaq; ad superas est reserata domos.
Ergo tibi melior quaesita est funere vita,
Est post fata tibi certa parata salus.
Nos varijs turbis sors errabunda fatigat;
Te fecit T O T V M vita beata SV V M.
O' faustas post fata vices: vix nominis umbrâ
Qui pridem K A R O L V S, iam MAKAP-audit-ΟΛΟΣ.

O T T O, B V R G G R.

A' D O N A, B A R O;
mœrens F.

B. M.

C A R O L I B V R G G R. A' D O N A, B A R.


O Mnia non finit lethum; fit ianua vitæ
Mox, ubi tristitia meta suprema fuit.
Hero gentis Donææ sanguine cretus
C A R O L V S, exemplo comprobat ipse suo.

E

Qui

Quem coluit viuens , à Christo sede receptus
Aetherēā, immensa tempora lucis agit.
Smita , Christe , tuis es fida ; hac itur ad astra ,
Quò , sine te , nobis inuia cuncta via est.

M. Christophorus Fischer,
Annæberg. Scholæ nunc
temp. Rector.



A D

GENEROSVM AC NOBILISS. D.
D. VV E N C E S L A V M , B V R G G R A V I V M
à Dona Baronem , &c.

D E O B I T V C A R O L I F.

Consolatoria Elegia.

Q Vis neget usq; tuum , Generose vir , esse probandum
Luctum , quem Nati mors inopina mouet ?
Scilicet affectus tribuit natura paternos ;
Euehit hos varijs pagina sacra modis .
Quæ monet , à Ioua , qui cuncta gubernat , eosdem
Cordibus insertos cælitus esse pijs .
Ipsius ut curam nobis mentemq; paternam
Subijcant , animos extimulentq; rudes .
Et tibi certa manet cordis persuasio , Nati
Te quoq; suscepsum , Vuencesilaë , loco .
Huius in amplexu quisquis manibusq; recumbit ,
Intrepidè casus fert , superatq; graues .
Esto grauis mentem dolor occupet , ossag; tristis
Exiccat luctus , cor maceretq; pauor :

Vna

Hanc referunt viui, promuntq; oracula verbi,
Quæ vitam, & vitæ suppeditant Dominum.
Illa tibi spondent Natum superesse, beatis
Sedibus & vera prosperitate frui.
Ipse equidem, fateor, ratio contraria dictat,
Defuncti aspectus tristiciamq; ciet.
Quis nisi mentis inops, casu haud moueatur acerbo,
Cum iuuenis lethi falce resectus obit?
Is certè iuuenis, quem sidera fausta canebant
Auxilium patriæ, præsidiumq; fore.
Adde, pio Iouam gratus qui corde timebat,
Et dias sancta mente fouebat opes.
Donec erunt homines, tua sancta modestia viuet,
Atq; ferent mores secla futura tuos.
Nunc viridi moritur flos sicut ianthinus aruo
Cui redit extinctus tempore veris honor:
Concidis in primo generosa flore iuuentæ,
O Carole, at vitæ spes tibi certa manet.
Viuit enim superis, in te pars optima, regnis
Spiritus, & Christi gestit amore frui.
Et te siderea comitantur in arce cohortes
Angelicae, lati excipiuntq; modis.
Eximio Phœbum superans splendore serenum
Aeternæ victor gaudia lucis habes.
Nec tibi sunt auro vestes, gemmisq; decore
Cordi, sed Christi tincta cruore toga.
Non hostes metuens sauos, morbosue minaces
In cælo solidæ dona quietis habes.
Qui modo deformi miserabilis undiq; vultus
Aspiciendus eras, pulcer honore nouo es.

Eius & ex merito præstantem flore coronam
Aeterno gestas, sic decorante D E O.
Salue cœli hospes generose, beate Tonantis
O fili, salue, perpetuumq; vale.
Tu casus superasti omnes, nos lubrica vita
Heu dubijs passim versat agitq; vijs.
Interea fortes C H R I S T O sub præside finem
Expectamus, opem suspicimusq; D E I.
Huc animum confer modò; VVencesilae; iacentem:
Erigit oppressos dextra fouetq; D E I.
Non ea, crede, tibi Natum violenta peremit,
Ereptum letho sed superesse facit.
Dextra D E I viuo præstans est robore, dextra
Imperio mortis regna superba premit.
Hanc tuus apprendens, meritis vir maxime, Natus,
In medio tales fudit agone sonos:
Sæua quid insultas mihi mors? non tela pauesco
Nam tua, nec fictas ipse timebo minas.
Viuo equidem, viuusq; feram super æthera Iouam,
Incola sidereæ cùm nouis aedis ero.
Sic breuibus lassus morbo, exhaustusq; dolore,
Hymnos poscebat, raptus amore, cani.
Hinc sacrum Domini corpus, sanctumq; cruentem
Sumebat cupidus, gratus eratq; D E O.
Namq; illi certum, tanto sub pignore vitam
Distribui nobis, regnaj; sancta poli.
Hec bona letus habet Carolus, vitamq; sub ipsa
Morte tenens fingit carmina grata D E O.
C H R I S T E, salus mundi, finem tu pone laborum,
Omnia dum retrò lapsa feruntur, ades.


Et di-

Tunc grato acceptam testabimur ore salutem,
Consortes regni participesq; tui.
Interea dum sauit hyems, & tristior aura,
Quando dolor vires imminuitq; grauis:
Da, nos blanda tui recreet spiraminis aura,
Hortos quæ verbi perfluit aura tui.
Non alia est miseris spes, non fiducia pressis:
In manibus pax est certa quiesq; tuis.

M. Georgij Nucelij, verbi
diuini apud Annæmon-
tanos ministri.



AD I. FRIDERICHVM De obitu eiusdem.



M O R S L O Q.

Quid vos cum reliquis, sacri poëtæ
Sic confunditis E S S E vel F V I S S E?
Hoc vel mille mihi parit dolores;
Hoc vel ossibus his meis vigorem;
Si quid esse potest tamen vigoris
His nudis; mihi tollit, atque iura
Reddit imperij mei minora.

Quid exempla petam? vel inter omnes
Exemplo F R I D E R I C H V s e s t , eritq;
Qui C A R L V M tumulo suo sepultum

E 3

E s s e

*Hic mihi oculos esse vel fuisse,
Ut qui sint fuerint ué scire nunquam
Possum; dum facit hic poëta & ille
Esse, quos magis arbitror fuisse.*

M. I. Suevius
Annæmont.



DEFUNCTVS
AD FRATRES SVPERSTITES.

Elegia

VVENCESLAI TRAIANI DACZIGENI.

Est aliquid, fratres, claro de stemmate natum,
Est aliquid, studijs inuigilasse bonis.
Hinc animo dulcis surgit cum laude voluptas:
Nec decus hoc maius, magnus hic orbis habet.
Ast pietas, louæq; timor longè omnia vincit,
Et veras veri gignit honoris opes.
Nam vocat hora omnes, licet hæc incerta, caducos
Et tollit titulos, tollit & omne decus.
Quod si te iusti grauis opprimit ira Parentis,
Pænæ succedunt, excruciantq; graues.
Has sed labe carens omni unica sustulit omnes
Spes hominum, Christus, motus amore pio.
Hunc mihi monstrabat diuini pagina verbi,
Maxima quæ viuæ dona salutis habet.

Hæc

Non ego curabam mundi securus honores.
Non quicquid magnum, dulce vel, orbis amat.
Nec me spes, domino fuerat quæ nixa, fefellit;
Ereptus tristi carcere liber eo.
Felix, quem puerum Deus hoc è carcere mundi
Victorem ad cæli regna beata rapit.
Hic ego cælestes latus contemplor amicos,
Qui pariunt animo gaudia mille meo.
Autoremq; mea Christum sine fine salutis
Audio, & hymnorum dulce refundo melos.
Angelicae præsto mihi sunt, & in arce cohortes
Siderea, socium suscipiuntq; nouum.
Non arx in mundo durat, munitio nulla;
Omnia sed cæli regia firma tenet.
Huc animos cari vestros aduertite fratres,
Et nostrum memori mente tenete Deum.
Qui tenet hunc animo, diues, felixq; manebit;
Effugiens mortis spicula, viuet ouans.
Viuite felices, fratres, sed viuite Christo:
Aetheria dum nos iungat in arce Deus.



CONDI-

CONDISCVLORVM THRENI;

Pauci

E magna farragine.

• 05 30 •

T E T R A S T I C H A I V.

TOTID. ADOLESCENTV LORVM NOB^EB.
BOHEMORVM.

I.

P Erfectum nihil est, nihil est sub Sole beatum,
Atq^{ue} graues luctus angulus omnis habet.
Hoc Carole: ô generis decus, hoc & morte probasti;
Mors tamen ad vitam hac ianua facta tibi est.

Casparis Melch. Beluicij
à Nostvitz.

I I.

Est decus eximium genus, & sine labore venustas;
Est maior veræ sed pietatis bonos.
Hunc quia spectasti, Carole inclyte, pectore magno:
Ante homines magnus viuis & ante D E V M.

Fabiani Sebast. Prollhoferi
à Purgersdorf.

I I I.

Fratribus heu luctum grandem patriq^{ue} creasti,
Qui clarus meritis, & pietate nitet.

Exigu-

à VVtelno.

I V.

Non generis series, non forma, nec inclyta virtus,
Effugiunt sae^a spicula dira necis.

At sincera fides, Christo quænititur uno,
Te Carolum tumulo subtrahit unatuo.

Georgij VVtelensky
à VVtelno.

ELEGIDIA III.

Friderici Kausek Veluarini Bohemi.

I.

Nunc iter ô genitor, fratres, charæg^r sorores,
Ad superos, Christo me preeunte, sequor.

Flere diu nolite; pater fratresg^r; parata
Iam mihi qua^rteneo, regna fauete Poli.

Quid firmum in mundo? nihil usquam: lubrica cuncta:
Certa^r terrigenis nulla vel hora datur.

Me Deus eripuit venturis inde periclis,
Vindice quæ mundum puniet ipse manu.

Viuite post quantum restat; contemnite mundum:
Este pia in CHRISVV M mente: valete diu.

I I.

Vt rosa manè viget Zephyro spirante per hortos,
Deciduum flectit sole cadente caput.

F

Sic

Pallida mors nobis surripit ante diem :
Ante diem : properè sed liber in arce Tonantis
 Ut capias vera munera Læticia.
Ergò licet noster te cætus ab orbe reuulsum
 Lugeat : at gaudet te subiisse polum.
Viue, vale, nunquam superis moriture sub astris
 Viue; tuo aeternum, CAROLE, viue D E O.

III.

Fas simul & pietas, comitari morte peremptos
 Cum gemitu, tristi pectore & ore, iubent.
Præsertim verò coniunctos sanguine nobis,
 Et nobiscum uno pignora nata toro.
Sed lachrymas, gemitus, largosq; effundere fletus,
 Immodicè (credas) impietatis opus.
Qui Christo moritur, viuet; dum viuere primum
 Incipit, & vitam, te duce, Christe capit:
Flere pater cessa, Fratres, mæstæg; sorores:
 Iam Gnatus, frater, cælica regna subit.

A L I V D.

C Vr lacrumis oculi complentur? pectora planctu?
 Pieridum fletu cur pia castra sonant?
Atropos eripuit CAROLVM persua Baronem,
 Dignus erat longas qui superesse dies.
Sistite sed lacrumas, minus indulgete dolori;
 Cælicolis melior pars data, corpus humo.

Vita

Cum luctu morbum, & plurima damna parit.
Hac terra is patriam repetit, nos orbe relinquit:
Hunc tenet aula nitens, nos lacrumosa dies.
Et quondam ut doctas hic sedulus imbibit artes,
Sinceraq; fuit relligionis amans:
Sic quoq; nunc superum felicia templa frequentat,
Quis summus doctor praesidet ipse λόγος:
Cuius is ante thronum gratissima gaudia senxit,
Gaudia non ullis aequiparanda bonis.

Christoph. Buchl Fr.

A L I V D.

O Felix nimium totoq; ex ase beatus,
Emundo voluit quem reuocare Deus:
Cen CAROLVM primis, & adhuc crescentibus annis,
Ad se translatum collocat arce POLI.
Huc missus fuerat monte imbueretur ut Annae
Doctrinā purā, moribus atq; pīs.
At Deus ille, regit nutu qui cuncta potenti,
Hic super astra schola: dixit: alumnus erit.
Ergo procul lacrymæ, vani gemitusq; facestant,
Hunc somni haud mortis ferrea vinclatenent.
Alarum CHRISTI recubat sub tegmine tutus,
Qui vita stabilis munera summa dedit.
Mundo quid peius? quid est immundius usquam?
Plena malis hic sunt omnia, plena dolis.

F 2

Hic

Christigenum turbæ ferq; benignus opem.
Ipse pios cæli summa ad fastigia transfer,
Quos SATANAS miseris angit agitq; modis.
HOC REX CHRISTE precor, summi fabricator Olympi;
Eueniant votis cuncta petita meis.

WVolfgang. Seyfardi
Annæmontani.

A L I V D.

Heu fama infelix nostras delata sub aures,
Heu lux infelix, heu fera parca nimis.
Carolus Heroæ spectabilis indole mentis
Exuperans morum nobilitate genus;
Ad loca demissus, Musarum ut castra sequatur,
Hic ubi Pelias sidera celsa petit;
Fata subit, vita perruptaq; claustra relinquens
Amplius in terris desinit esse super.
Parca fera haud passa est vita tria lustra replere:
Cum tristi rumpit fila resecta colo.
Hoc est quod mæstæ lugent ex ordine Musæ,
Et quod depositâ mæret Apollo lyrâ.
O' duram Lachesis nimis, ô durissima fata;
Optimâ qua rapitis tam properè ante diem.
O' morbum infaustum, mala tempora, & omnia dira;
Quanta est immitis vis, furor, ira necis?
Quis lacrymas, quamuis durus, quis talia fando
Comprimere, aut siccas possit habere genas?

Sed

Per te mors nomen dulce quietis habet.
Quid te ergo stolidi iam flemus, Carole, qui iam
Incolis aethereæ templa beata domus?
Te D E v s eripuit saeo de carcere mundi,
Vt citò ventura haud experiare mala.
Scilicet ex omni, verto quo lumina cung,
Parte nihil nisi nos sors onerosa premit.
Parte hac crudelis Papa scuit, parte sed illa
Turca ferox (eheu) bellua dira furit.
Ereptum his igitur sibi te coniunxit in æuum;
Quo secum capias gaudia summa, D E v s.
Illic cum superūm tua mens est agmine lata;
Alternis iterans mutua verba sonis.
Hic narras latum deuicta morte Triumphum,
Cumq; illis celebras, carmine, voce, Deum.
Non mihi si linguae sint, oraq; ferrea centum;
Dicere Mortalis gaudia tanta queam.
Illic cum Christo es sine fine futurus, ubi extra
Curas te excipient gaudia, risus, amor.
O' mihi contingat placido sic fine quietem
Carpere; sic tecum, C A R O L E, pace frui.
Vilis erit Mundus, qui lubrica gaudia consert;
Cælum perpetua dona salutis habet.

Ioan. Schreiteri
Annæmont.

F 3

A L I V D.

65

Ut florem crebro torquet flatu impetus Austris,
Sic etiam innumeris tunditur ista malis.
Ventus ut illum ima lacerat radice reuulsum:
Mors hanc atroci sic rapit atra manu.
Aspice qui paucos vitales duxerat auras
CAROLVS ante dies, spicula mortis habet.
Aetatis tenero flanti sub flore, pieg^z,
Viuenti, vitam mors inopina rapie.
Parce oīsa ua pio iuueni mors, parcer tenello,
In fortis falcem fer truculentatuam.
Ast nimium dura non ulli inflectere verba
Vim mortis possunt; non superare preces.
Tempus erat vitam deponere, FATA volebant,
Ius mors in cunctos irreuocabile habet.
Ulla nec hæc rerum seruat discrimina; tollit
Turbato iuuenes ordine cum senibus.
Splendida calce aquâ regum laquearia pulsans;
Et pastorum humiles sueta subire casas.
Immitis rabies, quæ nouit parcere nulli;
Surripit hinc reprobos, surripit inde bonos.
Talis nempe hominum vita est: ceu bulla profundi,
Quæ modo conspicitur, mox perit, Oceani.
Qui pridem aërio fuit usus lumine; nunc en.
Putri tectus humo tabida membra cubat.
Annos eb summum multos pietatis amorem
Qua coluit superos, viuere dignus erat.
Ingenuos ego tam iuuenili in corpore mores
Miratus, sacra & religionis opus.
Sapè etenim (memini) duplices ad sidera palmas

sustulit,


Tu mea spes, mea turequies; me do tibi totum;
Te sitio, ut fontis ceruus anhelus aquas:
Da precor hoc unum, capiet cum terra cadauer,
Mens volet in palmas sanguine parta tuas.
Hac ubi fatus erat, placide fata ultima clausit,
Perrepit lento viscera morsus pede.
O felix obitus (nigrâ hac ceu CAROLVS VRNâ)
Talia qui mortis fari in agone potest.
Vos ergo extincti fidissima pectora, questus
Linquite; & ex animo luctus inanis eat.
Quid lachryma? Fratrem num sic perisse putatis?
Absit: ad aeternæ tecta quietus abit.
Gratius haud quidquam vita, haud optatius illâ est,
Quam nunc aeternam, hac pro breuiore, capit.
Hic erat innumeris circumdatus undique morbis,
Tanget at in cœlis corpora nulla lues.
Iamque redemptoris blandis amplexibus haret,
Iouaque angelico concinit ore melos.
Ossa licet terrâ sint, mens tamen æthera scandit;
Præmia sic cœlum, qui bene vixit, habet.

Ioan. Textorius Modrenf. Vng.

E I V S D E M T E T R A S T I C H O N,

Annum, mensem & diem obitus communistrans.

Ter qVI nos pariterque DVos Vbi IVLIVs ortVs
Egit, & In tenebras LVX Varlata algras;
CaroLVs æthereas Intens BVrggraffiVs oras,
Infit: ego aD Cœlos eVoLo; terra VaLe.



Kab 6728 Ak

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



QK 292 HONORI POSTHVMO
CAROLI, BVRGGRAVI
~~A' DONA,~~ BARONIS &c.
ADOLESC.

5,128

Za
6728

Tam suopte ingenio & virtute;
Quam patritæ nobilitatis splendore;

QVONDAM ILLVSTRIS ET VERE GENEROSI;
ANNÆBERGÆ, HUMANIS EXEMPTI:

I N

AMORIS ET MOERORIS;
utriusque iustissimi;
SIGNVM PERP.

à


M. IOAN. FRIDERICO VVOLFFESH.
Artis dicendi in Academia Lipsica
Professore publ.

D.

O R A T I O.

Accessere

Tumuli inscriptio; & Epicedia diuersa.



MICHAEL LANTZENBERGER EXCVDEBAT.

Anno M. D. XCV.

(x/199 7455)

